

demonstro: is qui intra spatium temporis illarum LXX hebdomadarum venturus et occidendus praedicatur, est Messias iuxta annotationem IV seu ultimam modo recensitam: sed LXX illae hebdomadae iam diu sunt elapsae: ergo Messias iam venit. Prob. min. LXX illae hebdomadae conficiunt 490 annos, iuxta praecedentem annotationem III seu penultimam: et harum hebdomadam exordium duci debet vel ab edicto *Cyri*, vel *Darii Hystaspis*; vel ab anno septimo aut vigesimo regni *Artaxerxis Longimani*, vel ab eversione templi salomonici; vel ab exitu sermonis *Ieremiae* de solutione captivitatis babilonicae; vel a revelatione *Danieli* ab angelo facta de rebus intra illas LXX hebdomadas gerendis, ut pariter praecedente annotatione III iam ostendimus: atqui a quocunque ex his initium LXX illarum hebdomadarum ducatur, eae (id est, 490 anni) iam diu sunt elapsae: ergo prob. min. a Christo nato iam ultra mille septingentos annos sunt elapsi: ergo multo magis 490 anni ab edicto *Cyri* etc., totidem anni elapsi sunt. Verum audiamus effugia quorundam rabbinorum, quibus hanc demonstrationem enervare conantur.

123. OPPONUNT I. Per hebdomades *Danielis* non intelliguntur hebdomades annorum, sed iubilaeorum vel saeculorum, sed hae nondum sunt elapsae: ergo Messias nondum venit. prob. min. Septuaginta hebdomades iubilaeorum conficiunt annos 24500; septuaginta vero hebdomades saeculorum conficiunt annos 49000: atqui tot anni nondum sunt elapsi ab exitu sermonis ut iterum aedificetur *Ierusalem*. R. Neg. mai. Ratio negandi est I. Quia nec in s. Scriptura, nec apud profanos

(1) Vide supra pag. 280, notand. II.

scriptores ulla fit mentio de hebdomadis iubilaeorum aut saeculorum, sed tantum de hebdomadis dierum vel annorum (1). II. Quia templum hierosolymitanum secundum, seu soluta captivitate babilonica a iudaeis de novo aedificatum, iam pridem a *Tito* eversum est: atqui huius templi devastatio, iuxta illam prophetiam *Dan.* cap. 9, v. 26 non praecedere, sed potius sequi debet septuagesimam illam hebdomadam, in qua occidendus erat Christus, iuxta illud: *et post hebdomadas sexaginta duas* (additis nempe primis septem hebdomadis, vel post sexaginta duas a completa aedificatione templi et urbis occidetur Christus. *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo etc.*, ergo LXX hebdomades illae iam sunt elapsae; sed non essent elapsae, si essent hebdomades iubilaeorum vel saeculorum, ut obiectio recte probat: ergo non sunt hebdomades iubilaeorum, vel saeculorum, sed duntaxat annorum. III. *Talmud*, cui iudaei omnes credunt, in tract. *Sanhedrin*, c. chéleq, ex rab. *Suadia* et aliis rabbinis docet, LXX hebdomadas conficere duntaxat 490 annos; ut testatur *Cornelius a Lap.* (2).

OPPONUNT II. Illae LXX hebdomades ponuntur ab angelo tanquam numerus certus pro incerto, ferme sicut *Apoc.* cap. 7, v. 5-9 numerus determinatus pro indeterminato ponitur his verbis: *Ex tribu Iuda duodecim millia signati, ex tribu Ruben duodecim millia signati*, et sic percurrere singulas tribus: ergo ex illo vaticinio *Dan.* cap. 9, de adventu Messiae non potest certum tempus quo Messias veniet, determinari. R. Quamvis s. Scriptura numerum certum pro incerto

(2) Commentar. in *Dan.* c. 9, v. 24.

non uno tantum in loco ponat (1); multo tamen frequentius per numerum certum significat numerum determinatum, ut variis exemplis ostendi posset. Et quidem *Dan.* cap. 9 per LXX hebdomadas designari hunc numerum hebdomadam tanquam certum ac determinatum, manifeste colligitur ex circumstantiis. Nam I. *Daniel* et omnes iudaei iam aliunde sciebant, Messiam aliquando, seu tempore aliquo indeterminate sumpto venturum. Ergo si angelus *Danieli*, solummodo indicare voluisset, Messiam aliquando venturum, nihil sane novi eidem indicasset, neque inde tam *Daniel*, quam totus populus iudaicus novum singulare solatium hausissent. II. *Daniel* adventum Messiae ardentissime desideravit, ut ex eo colligitur, quia ab angelo *Gabriele* appellatus est *Vir desideriorum* (2). Hoc desiderium idem angelus lenituro ad *Danielem* ait (3): « Ut docerem te et intelligeres — ut indicarem tibi — Tu ergo animadvertes sermonem et intellige visionem, » non utique de aliquo, quod *Daniel* iam antea sciebat: ergo LXX hebdomades significant fixum ac determinatum tempus, quo venit Messias; alias *Daniel* nullum singulare solatium ex hac angeli revelatione percepisset, nec aliquid, quod non iam antea sciverat, didicisset.

OPPONUNT III. Promissio divina de Messia intra spatium LXX hebdomadarum venturo facta duntaxat est sub conditione, si scilicet intra hoc spatium temporis iudaei resipiscant ac seriam poenitentiam agant, quam cum non egerint, elapsis licet LXX illis hebdomadis dila-

(1) Quid autem de citato ex *Apocalypsi* loco sit sentiendum quoad explicationem numeri, vide apud *Cornelium a Lap.* aut alios interpretes commentar. in hunc locum.

tus est adventus Messiae. R. Neg. ant. Nullum enim huius conditionis vel tacitum, vel expressum vestigium in illa prophetia *Danielis* invenitur; ergo gratis id fingitur a iudaeis; alias dicere quis etiam posset Messiam fors nunquam esse venturum, eoquod is non absolute, sed sub conditione quadam forsitan nunquam implenda, fuerit promissus? Accedit, quod angelus *Gabriel* cit. loc. ob hunc ipsum finem Messiam dixerit venturum, ut finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas: ergo peccata non erant causa dilati ultra 70 illas hebdomadas adventus Messiae, sed potius Messias advenit eam ob causam, ut peccata deleantur, et finem accipiant.

DICES: Nondum deleta est iniquitas, nec finis impositus peccatis; ergo Messias nondum venit. R. Neg. cons. Messias in illa prophetia *Danielis* non eo sensu dicitur peccatis finem imponere, quasi post ipsius adventum homines non amplius essent peccaturi. Neque enim iudaei Messiam expectare debent, qui ipsos impeccabiles reddat: sed eo sensu delevit iniquitatem, et finem imposuit peccatis, quod hominum peccata, quae antea lex vetus seu mosaica taurorum sanguine abstergere non poterat, Christi sanguis gratiam internam conferens eluat, modo homines eo velint ablui, et gratia Christi uti. Boni enim medici partes non sunt ut nemo moriatur et pereat, etiam qui perire voluerit; sed ut nullus illorum intereat, qui salutaria eius consilia amplecti voluerit. Igitur Christus finem peccatis imposuit, quia pro peccatis hominum vere satisfecit, et sic omnibus nostris debitis, si eius satisfactiones nobis applicemus, finem imposuit: item quia sacramenta in no-

(2) *Dan.* c. 9, v. 5.

(3) *Ibidem* v. 22 et 23.

stram salutem instituit, et gratias nobis promeruit, quibus si rite utamur, omne peccatum superare possimus.

124. SCHOLION. Messiam iam venisse, idque ex LXX hebdomadis *Danielis* invicte demonstrari, etiam agnovit, et sincere fassus est rab. *Samuel*, qui in epistola ad rab. *I-saac* data (quam in commentariis *Dionysii Carthusiani* et apud *Natalem Alexandrum* (1) legere est) ita scribit: « Videtur, domine mi, *Danielis* prophetia, quae scribitur nono capite, iam completa esse, ubi sic dicitur: POST SEXAGINTA DUAS HEBDOMADAS OCCIDETUR CHRISTUS, ET VENIET POPULUS CUM PRINCIPE VENTURO, DESTRUETQUE CIVITATEM, ET DOMUM, ET ERIT CONSUMMATA DESTRUCTIO DESOLATIONIS PERPETUAE. Et non est, domine mi, dubium, quin destructio perpetuae desolationis sit haec captivitas in qua sumus. Nam iam sunt mille anni, et aperte dicit Dominus per prophetam, quod erit desolatio perpetua propter occisionem Christi... Et si voluerimus dicere quod ante occisionem Christi fuerimus in desolatione, respondent nobis christiani, quod ante illam mortem non fuit desolatio nisi LXX annis; et post hoc fuimus reducti in terram promissionis, et fuimus apud Deum in gratia et honore. Certe, domine mi, non video evasionem. Defacto enim probatur nobis, quod postquam a reaedificatione templi completae fuerunt septuaginta hebdomades annorum, tunc fuit Iesus occisus a patribus nostris, et postea venit dux, scilicet Titus, et popu-

(1) Tom. 2 histor. eccles. in vi mundi aetatem, dissert. 2, prop. 2 ad finem.

(2) Comment. in Dan. c. 6. v. 8, ubi totus hac de re contextus huius s. Patris ita habet: quod supra legimus (Dan. c. 1, v. 21): Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis, non vitae il-

lus, scilicet romani, et fecerunt nobis secundum prophetiam istam. Hodie sunt mille anni, et nihilominus in ira Dei sumus, et tamen nos in ipso speramus, expectantes adhuc venturum Messiam, et reversuros nos in terram promissionis, et civitatem atque templum restauraturos.... nec desolationem hanc fore perpetuam, sed temporalem. Heu, mi domine, non est ista excusatio et evasio consona; et vana videtur talis expectatio. » En sincera confessio, quam rab. *Samueli* vis veritatis expressit.

125. QUÆRES VIII. *Quomodo Danieli anno tertio Cyri potuerit aliquid revelari iuxta illud* (Dan. 10, v. 1): ANNO TERTIO CYRI REGIS PERSARUM VERBUM REVELATUM EST DANIELI: cum tamen primo iam anno eiusdem regis Daniel obierit; quia (Dan. 1, v. 21) expresse dicitur: FUIT AUTEM DANIEL USQUE AD ANNUM PRIMUM CYRI REGIS: quod (Dan. 6, v. 28) iterum repetitur? R. et dico, vocem mortis innuere, sed tempus, quo Daniel regiam aulam deseruit. Fuit enim Daniel in magna apud reges Babylonis gloria et auctoritate, vixitque in aula regia, Nabuchodonosori eiusque posteris carus et familiaris, idque constanter et semper, donec *Balthasar* a *Cyro* et regno et vita spoliatus est. Daniel, inquit s. *Hieronymus* (2) usque ad primum annum Cyri, qui chaldaeorum destruxit imperium, potens fuit in Chaldaea: postea vero, a *Dario* in medos translatus est. Ita et *Theodoretus*. Addit *Sanctius* (3) et ait,

lius tempus accipiendum est... sed hoc significatur, quod usque ad primum annum Cyri regis, qui chaldaeorum destruxit imperium, potens fuit in Chaldaea; postea vero a *Dario* in medos translatus est.

(3) Comment. in Dan. c. 1, v. 21.

Danielem licet ad medos translatus fuerit, atque ibi aliquandiu vixerit, rediisse tamen Babylonem, atque ibi tandem nobili sepulcro conditum esse: ita omnes pene affirmare auctores, quorum de *Daniele* aliquid scriptum extat, *Epiphanium*, *Isidorum*, *Dorotheum*, *Chronicum alexandrinum*, et ipsum etiam *Martyrologium romanum* ad diem xxii iulii.

126. SCHOLION. Textum illum Dan. 1, v. 21 *Calvinus* (prout refert *Cornelius a Lap.* comment. in hunc locum) perperam sic exponit: « Fuit, id est, prophetavit Daniel usque ad primum annum Cyri. » Perperam, inquam, *Calvinus* sic exponit. Nam et tertio anno Cyri prophetavit, ut ex supra citatis verbis Dan. 10, v. 1 patet.

127. QUÆRES IX. An additamenta *Danielis* habeant auctoritatem canonicam? R. Affirmative. Ut autem hoc rite declarem, imprimis sciendum est, additamenta *Danielis* vocari partem capituli tertii in libro *Danielis* a versu 24 usque ad versum 90 inclusive sumtum, in qua recensetur *Oratio Azariae*, et *Hymnus trium puerorum*: item duo ultima capita *Danielis*, nimirum 13 et 14, in quibus narratur *historia Susannae*, et *Beli ac Draconis*, quem *Daniel* interfecit. Porro haec additamenta tempore s. *Hieronymi* et aliorum antiquorum pp. non amplius in codicibus hebraeis extabant, sed ex graeca versione *Theodotionis* in nostram vulgatam latinam translata sunt; prout etiam in bibliis nostris expresse annotatur. Reiciebant autem haec omnia additamenta iudaei, et ex paganis *Porphyrus*, tanquam fabulosa, quorum errorem

(1) Sess. 4 in decreto de canonicis Script.

(2) Introd. in s. Scripturam, part. 2, n. 242.

secuti sunt posteriorum temporum sectarii *Lutherus*, *Kemnitius*, *Whitakerus*, et hodie protestantes passim: imo etiam ex catholicis quidam antiquitus, cum haec res ab ecclesia nondum definita erat, illa additamenta respuebant, inter quos fuit *Iulius africanus*, historiam *Susannae* tanquam confictam repudiavit.

Verum post concilii tridentini decretum, non licet ulterius ambigere de authentia et canonica auctoritate praedictorum additamentorum. Praecipit enim haec sacra oecumenica synodus (1), libros vulgatae latinae tanquam canonicos cum omnibus suis partibus recipi; prout in ecclesia catholica legi consueverunt: leguntur autem illa additamenta in ecclesia; *Oratio Azariae* quidem in epistola feriae v hebdomadis passionis; *Hymnus trium puerorum* in laudibus dominicarum et sanctorum brevissimi romani et in missa sabbathi quatuor temporum adventus: *Historia Susannae* sabbatho ante dominicam 4 quadragesimae: *Historia Beli destructi et draconis interfecti* feria iii dominicae passionis. Praeterea plurimi patres tam graeci, quam latini, quorum longum catalogum *Herman. Goldhagen* (2) enumerat, sententias ex iisdem additamentis depromptas, tanquam sacras et divinas usurparunt, et citarunt. Denique argumenta (3) quae pro canone catholico sacrorum librorum pugnant, etiam auctoritatem canonicam additamentorum *Danielis* evincunt.

128. NEQUE OBSTAT I. Quod haec additamenta *Danielis* non extent in codicibus hebraeis. Quamvis enim hodie et tempore s. *Hieronymi* non

(3) Vide nostram Scripturam sacra contra incredulos propugn., V. T., p. 4, sect. 1, q. 1.

amplius ibi extiterint, in illis tamen aliquando et ab initio extiterunt. Nisi enim in hebraico olim codice extitissent, undenam eadem accepissent, versio graeca LXX interpretum, versio Aquilae et Theodotionis? Causa autem, cur in hebraeo non amplius extant, duplex assignari potest. Primam, ait Huetius (1), fuisse multitudinem graecorum exemplarium, quae de historiis hisce lectu iucundis in iudaeorum, praesertim hellenistarum (2) et alexandrinorum gratiam confecta fuissent, qua inundante copia, ut fieri assolet, primigenia archetypa hebraea iacuerint neglecta, ac sensim denique penitus interciderint. Alteram affert Origenes (3) dicens, id tribuendum malitiae iudaeorum maxime circa suppressam historiam Susannae. Cum enim viderent, hanc historiam in seniorum et iudicum suorum (cum horum quidam castissimam Susannam, falso adulterii accusarint) dedecus redundare, mirum non est, inquit Origenes, si veram historiam hanc suffurati sunt, et subtraxerunt a Scripturis. Porro, quamvis haec epistola Origenis ad Africanum in aliquibus ipsius editionibus desideretur, reperitur tamen Africani epistola ad Origenem de historia Susannae cum responso Origenis inter huius opera Lutetiae edita.

129. NEQUE OBSTAT II. Quod de additamentis Danielis dubitatum aliquando fuerit in particularibus quibusdam ecclesiis. Nam ex hoc plus non sequitur, quam additamenta illa esse duntaxat deuterocanonica, sicut sunt plures alii libri s. Scripturae, de quorum auctoritate olim dubitatum est. Ceterum, licet de iisdem

(1) Dem. evang. propos. 4 in Dan.

(2) Quinam fuerint Hellenistae, et quid de ipsorum canone sacrorum librorum notandum, explicavi Scripturae s. contra

additamentis aliquando quaedam ecclesiae particulares dubitarint, a potiori tamen ecclesiae parte et maiori coetu pp. semper fuere habita pro canonicis: ut constat ex serie pp., quorum ex Hermanno Goldhagen paulo ante meminimus.

130. NEQUE OBSTAT III. Quod haec additamenta non expresse et distincte in catalogis sacrorum librorum, a s. Augustino, concilio carthaginensi III, Innocentio I et Gelasio exhibitis, nominentur. Hoc, inquam, non obstat, quia sub nomine Danielis, qui in illis catalogis ponitur, intelliguntur etiam illa additamenta utpote partes libri Danielis. Qui enim approbat totum, nulla facta exceptione, approbat etiam illius partes. Praeterea ex Origenes (4) et Rufino (5) constat, additamenta Danielis iam tum in ecclesiis fuisse lecta: a qui in memoratis catalogis recensentur libri, prout illis temporibus in ecclesiis legabantur: ergo recte concludimus, in illis sub nomine Danielis intellecta quoque fuisse eiusdem additamenta.

NOTA. Reliqua protestantium aut aliorum argumenta, quae contra Danielis additamenta afferre solent, in sequentibus quaestionibus confutabimus. Unicum adhuc affero.

131. DICES: Si additamenta Danielis canonicam auctoritatem habent, cur s. Hieronymus (praefat. in Danielis librum) illa appellat fabulas? 2. cur ibidem dicit, se has fabulas anteposito veru iugulante subiecisse? 3. Cur alibi (nempe in prooemio commentarii in Danielis librum) de his additamentis loquens, aperte dicit, se non debere respondere Por-

incredul. propugn., V. T., p. 4, sect. 1, q. 1, n. 5 in nota (1).

(2) In epist. ad Africanum.

(4) Ibidem.

(5) L. 2 adversus Hieronymum.

phyrio pro his, quae nullam s. Scripturae auctoritatem habent? 4. Cur in eodem prooemio Danielelem prophetam distinguit a Daniele Susannae vindice, et (sicut Eusebius et Apollinarius fecere) illa additamenta alteri cuidam Danieli, qui a Daniele propheta diversus fuerit, adscribit? R. I. generatim, et dico: Etiam si tempore s. Hieronymi additamenta Danielis nondum agnita fuissent ut canonica: tamen hodie ab universa ecclesia catholica pro talibus habentur et agnoscuntur. Quare ex obiecta s. Hieronymi auctoritate ad summum sequitur, haec additamenta non esse proto, sed duntaxat deuterocanonica, quod ultro fatemur, et iam supra (1) facti sumus.

R. II. Speciatim ad singula. Et ad primum quidem dico, s. Hieronymus dicta additamenta vocare fabulas, non quod sint narrationes fictae et falsae, sed hoc tantum sensu, quod sint historiae lectu iucundae et mirabiliter implexae; ferme sicut alibi (2) idem s. pater ait: Brevem tibi fabulam referam, quae infantiae meae temporibus accidit. Profecto, si accidit, non fuit ficta narratio, sed vera historia: nec fabulas fictas narrabant duo discipuli euntes in Emmaus: et tamen de illis dicitur (3): Et factum est dum fabularentur: ergo vox fabula vel fabulari non semper significat, falsas narrationes proferre. Praeterea s. Hieronymus in obiecto nobis loco non fuit locutus ex propria sententia, sed duntaxat indicavit, quid iudaei dicerent; prout ipsemet in alio loco (4) expresse testatur his verbis: « De Daniele autem breviter respondebo, non me negasse eum prophetam, quem statim in

fronte prologi (id est, in prooemio commentarii in Danielis librum) prophetam esse confessus sum: sed quid hebraei dicerent, et quibus argumentis suam niterentur probare sententiam, voluisse monstrare. — Quod autem refero, quid adversus Susannae historiam, et hymnum trium puerorum, et Belis draconis fabulas, quae in volumine hebraico non habentur, hebraei soleant dicere: qui me criminatur stultum, se sy-cophantam probat. Non enim, quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi. »

Ad 2. dico, s. Hieronymus additamenta illa veru transfixisse, non tanquam signo narrationis falsae, sed tanquam signo, has partes in hebraico textu deesse. Hanc enim ipsam rationem affert s. Hieronymus (5) dicens: Nos ante annos plurimos, cum verteremus Danielelem, has visiones obelo praenotavimus, significantes, eas in hebraico non haberi. Per visiones autem additamenta Danielis intelligit.

Ad 3. dico, Hieronymum ibi tantum velle, quod illa additamenta tunc temporis non fuerint ab universa ecclesia tanquam canonica recepta; quod utique verissimum est; imo hoc dicit non tam ex mente sua, quam aliorum; quia ibi tantum refert, quid Origenes, Apollinarius, Eusebius, aliique de his additamentis senserint. Nam post illa verba in prooemio commentarii in Danielelem a nobis in responsione ad 2. citata: significantes, eas in hebraico non haberi, immediate addit: Et miror.... quosdam indignari mihi, quasi ego decurtaverim librum: cum et Origenes et Eusebius et Apollinarius aliique ecclesia-

(4) Lib. 2 apolog. adversus Rufinum, c. 9.

(5) In prooemio commentar. in Danielelem.

(1) Num. 129.

(2) Epist. ad Castrutium.

(3) Luc. c. 24, v. 15.

stici viri.... has, ut dixi, visiones non haberi apud hebraeos fateantur: nec se debere respondere Porphyrio pro his, quae nullam Scripturae sanctae auctoritatem praeberent.

Ad 4. pariter dico, s. Hieronymum ibi referre non tam sententiam suam, quam Eusebii et Apollinarii; prout legenti locum illum patebit. Certe alibi (1) s. Hieronymus liberationem Susannae, sicut interpretationem somniorum Danieli prophetae attribuit. Eusebio autem et Apollinario oppono communem pp., quos Hermannus Goldhagen (2) copiose citat, et ipsius ecclesiae sensum, ad unum eundemque Danielelem prophetam totum librum Danielis cum suis additamentis pertinere iudicantium. Ceterum, quod unus idemque Daniel et propheta et vindex Susannae, et Beli eversor fuerit, ex instituto ostendit cl. Widenhofer praefat. in commentar. Danielis pag. 751 - 754.

132. QUARES X. An non historia Susannae ab aliquo graeco homine sit conficta; quia Daniel seniores adulteros alloquens (Dan. 13, v. 54 et 58) utitur allusione verborum de SCHINO (graece σχινο) et actiones scindendi (graece σκίζειν) item de PRINO (graece πρινο) et actione secandi (graece πριζειν), quae tantum in sermone graeco, non vero in hebraeo, quo Daniel hanc historiam conscripsisse dicitur, locum habent? R. Ad hanc obiectionem, quam olim Porphyrius contra librum Danielis, et doctus qui-

(1) L. 1 contra Iovinianum.

(2) P. 2 Introduct. in sac. Scriptur. n. 241.

(5) Praefat. in Danielelem; item in proemio commentar. in Danielelem.

(4) Dan. c. 13, v. 54, 55, 58 et 59.

(5) Matth. c. 16, v. 18.

(6) Sicut in latino textu dicitur: Tu es Petrus et super hanc petram, et in graeco: οὐ ἐπὶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρῃ,

dam iudaeus contra historiam Susannae teste s. Hieronymo (3) protulit, imo quam Whitakerus et Hunnius putarunt esse insolubilem, duplex potissimum dari potest responsio. Nam I. Tempore Danielis in hebraeo et chaldaeo sermone potuit esse similis paronomasia seu allusio verborum circa illas arbores, qualis hodie est in graeco textu (4); sicut in illo Christi ad Petrum efato (5): Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, tam in syriaca, quam in graeca et latina lingua, eadem servatur allusio ad petram (6). Quomodo ergo iudaei et protestantes probare poterunt, in historia Susannae non fuisse similem verborum allusionem in hebraeo textu (qui hodie non amplius extat) circa schinum et prinum praesertim cum olim plures fuerint voces hebraicae, quam nunc sint, et ipsi hebraei teste Origene (7) responderint, se nescire, quomodo duae illae arbores hebraice vocarentur, cum ipsi non iam haberent alias hebraeas voces, quam illas, quae in Scriptura extarent; arbores vero illae in nullo alio Scripturae loco nominarentur? Verum cl. Widenhofer (8) ut ostendat hanc paronomasiam seu allusionem etiam in lingua hebraico-chaldaica servari, ulterius ita respondet: « Dico, verba schin et prin hebraico-chaldaica esse, quae graecus interpres retinuit.... ac graeca terminatione donavit, uti et latinus (interpres) fecit. Quaesierat Daniel

sic in syriaco habetur: Tu es Cepha, et super hanc cepham, etc. servata ubique allusione nominis Petri ad petram, etc. Vide nostram dissertationem de primatu et infallibilitate r. Pontif. propositione 3, pag. 9 et 10. Aut interpretes in Matth. c. 16, v. 20.

(7) In epist. ad Africanum.

(8) Comment. in lib. Danielis, in praefatione pag. 755-756.

v. 54 unum (ex illis senioribus) sub qua arbore vidisset eos; qui respondit sub skin שכין h. e. sub senticeto, sepe, שוך suk, sepivit, sikkim enim significat sepimenta, quae vox sine punctis modernis lecta, cum terminatione chaldaica legitur skin, סכין; aut si mavis, dixit: Skin hu שכין הוא i. e., fuit dumetum; cui apte respondet verbum iisdem litteris consonantibus sakkim culter שכין et שכן sakan scidit; ideoque dixit Daniel v. 55: Angelus Dei scindet te medium, nempe separando animam a corpore. Alter seorsim interrogatus respondit generice, se vidisse eos sub fructifera arbore, sub prin פריץ פרי pri, fructifera Gen. 1 v. 11, addito nun chaldaico, vel heemanthico, cui iisdem primis consonantibus apte correspondet verbum parar פארר comminuit, fregit minutim, contrivit (Iob cap. 16, v. 12 in Vulgata v. 13) graece παραρρι; aut si mavis param פארם scidit: Manet Angelus, ut secet te v. 59. »

II. Responsio, quam etiam Cornelius a Lap. et Tirinus (1) approbant, est ista: Tametsi dicta allusio vocum in hebraeo nunquam fuisset, uti nec iam est in latino inter prinum et secare; potuit tamen graecus interpres hebraea fideliter et ad verbum convertens, eiusmodi paronomasiam seu allusionem in graecis vocabulis invenire, uti invenit latinus interpres in schino et scindet. Igitur haud adeo difficulter nodus solvitur, quem adversarii insolubilem putarunt; nec opus est, alias adhuc responsiones, quae ad enodandam hanc difficultatem inventae sunt, apponere.

(1) Comment. in Dan. c. 13, v. 55, 58 et 59.

(2) IV. Reg. c. 24, v. 12 et 15.

133. QUARES XI. An verisimile sit, quod Ioakim maritus Susannae in captivitate Babylonica adeo dives et conspicuus fuerit, ut amplas aedes habuerit, ut (Dan. cap. 13) dicitur? 2. Aut quod rex Babylonis captivis iudaeis permiserit erigere tribunal, et iudicium sanguinis in Susannam exercere? R. Ad utrumque affirmative. Nam rex Nabuchodonosor videns hebraeos non rebelles, sed morigeros esse, ipsis facile multa indulxit, nec eos multum afflixit; praesertim autem bene habebantur illi iudaei, qui poenitentes ac sponte cum Ioakim rege Iuda se Nabuchodonosori tradiderunt (2): quin et tres pueros, quorum socius (3) erat Daniel, voluit idem rex nutriri de mensa regia (4) tanquam nobiles. Praeterea alios quoque captivos legimus honoratos ac divites fuisse, ut Mardocheum et Tobiam, qui Gabelo decem talenta argenti mutuo dedit (5).

Praeterea non mirandum, cum iudaei plurimi essent, concessum illis a rege babylonio fuisse, suis legibus et iudicio uti; sicut recte observat Origenes (6) ita loquens: « Dicendum est autem, non esse mirandum et incredibile, cum magnae gentes fuerint ei subiectae, a rege (babylonio) fuisse concessum, ut captivi (iudaei) uterentur legibus suis et iudiciis. Nam nunc quoque, romanis regnantibus, et iudaeis didrachma eis pendentibus, quae-nam concedente Caesare possit gentis praefectus, ut nihil differat ab eo qui regnum obtinet in gentem, scimus qui sumus experti. Fiunt enim latenter iudicia convenienter legibus, et damnantur quidam capitibus, neque cum plena omni ex parte libertate, neque rege omnino

(3) Dan. c. 1, v. 6. (4) Ibid. v. 5.

(5) Tob. c. 1, v. 16 et 17.

(6) In epist. ad Africanum.

ignorante; idque in regione gentis longo tempore versati didicimus, et pro certo accepimus; quamquam sub romanis duae solae relatae sunt esse tribus, nempe tribus Iuda, et tribus Benjamin. Esto etiam levitica: Israël autem praeter populum Iuda (in captivitate babilonica detentum) erant decem tribus. » Ecce! his verbis *Origenes contendit*, mirum non esse, si iudaei a rege Babilonis potestatem obtinuerint vendi sub propriis legibus et iudiciis; cum suo tempore videat, eosdem a romanis imperatoribus, sub quorum captivitate degunt, ius vitae ac necis accepisse in suos.

134. QUÆRES XII. *Quomodo illud* (Dan. c. 13, v. 45): SUSCITAVIT DOMINUS SPIRITUM SANCTUM PUERI IUNIORIS, CUIUS NOMEN DANIEL: cum illo (Dan. c. 13, v. 50) *senum dicto ad Danielem*: TIBI DEUS DEDIT HONOREM SENECTUTIS, concordet? Num Daniel simul fuit puer iunior, et honorem senectutis adeptus? R. Fuit tunc Daniel iuvenis annorum circiter duodecim (1); vel, ut *Tirinus* vult, annorum 24; dicitur tamen ei Deus dedisse honorem senectutis, id est, dignitatem iudicandi, quae senibus proprie convenit.

DICES: Daniel iam diu antea (Dan. c. 6) super satrapas regni a rege *Dario Medo* constitutus fuerat; quomodo ergo postea (nempe Dan. c. 13, v. 45) potuit appellari puer iunior? R. Et observo, in nostra vulgata in serie capitum *Danielis* rationem temporis servatam non fuisse. Nam s. *Hieronymus* historiam *Susannae* propterea, quod eam in hebraico non invenerit, ad calcem libri *Danielis* collocavit; revera autem pertinet ad frontem eiusdem libri; quo loco etiam in antiquissimis editionibus LXX interpretum et

(1) Vide *Pererium* aut *Calmetum* in hunc locum.

Theodotionis visebatur. Eadem de causa *Belis* quoque et *Draconis* historia ad finem libri posita fuit; factumque id pariter esset circa orationem *Azariae* et *hymnum trium puerorum*, nisi abstracta e nexu capitis 3 (ubi defacto existunt) et translata ad finem libri, hiulcam historiam atque imperfectam constituisent.

135. QUÆRES XIII. *An verisimile sit, prophetam HABACUC* (Dan. c. 14, v. 35-39) CAPILLO CAPITIS SUI PORTATUM FUISSE AB ANGELO DOMINI ex Iudaea in Babilonem ad afferendum prandium *Danieli* in lacu leonum detento? R. Affirmative. Quamvis enim deistae, aliive increduli rideant prophetam cum prandio sublatum, et capillo tentum, iter facere per aërem, et Babilonem ad lacum leonum ferri velocitate tam mirabili, ut dapes etiamnum caleant, cum venit ad *Danielem* inter leones sedentem; tamen et haec, et innumera alia nobis captu difficilia, imo sphaeram limitati nostri intellectus superantia Omnipotenti, qui angelum illum ad *Danielem* misit, haud dubie possibilia sunt. Ceterum, ut deistis, qui putant, *Danieli* per angelum capillo capitis sui in Babilonem translato, evelli crines debuisse, omnis scrupulus eximatur, observo cum illustriss. *Calmeto* (2) verba illa: *Et apprehendit angelus Domini in vertice eius, et portavit eum capillo capitis sui*, ita intelligenda esse, ut angelus infra simul sustineret corporis eius pondus, quod crines convellere potuisset; sive, ut *Hector Pintus* (3) eleganter ait: *Manus angeli* (is enim, ut *Glossa* recte observat, apparebat in corpore assumpto, et ideo dicitur apprehendisse caput, quia posuit manum super caput prophetae) « te-

(2) Commentar. in Dan. c. 14, v. 35.

(3) Ibid.

nuit capillum *Habacuc*, sed virtus angelica totum illum tetigit, et admirabili ac rapidissimo motu in Chaldaeam suaviter adduxit. Capillus non tulit corporis gravitatem, sed Dei potentia illud per angelum effecit. » Idem etiam affirmat *Glossa* his verbis: ET PORTAVIT EUM CAPILLO CAPITIS SUI: *Non est sic intelligendum, quod virtus angeli solummodo tangeret capillos eius, sed totum corpus.*

COROLLARIUM: Translatio prophetae *Habacuc* per angelum facta tam parum est incredibilis, quam parum translatio *Henoch* (1) et *Eliae* (2). Unde futilis erat cuiusdam de praceptoribus iudaeorum obiectio, qui teste *d. Hieronymo* (3) raptum prophetae *Habacuc* in Chaldaeam explodens, quaerebat exemplum, ubi legissemus in toto veteri Testamento quemquam sanctorum gravi corpore volasse, et in puncto horae tanta terrarum spatia transivisse.

136. QUÆRES XIV. *An Habacuc ferens prandium Danieli in lacu leonum detento fuerit idem cum Habacuc uno e duodecim minoribus prophetis?* R. Duplex hic est diversa sententia. Prima sententia affirmat, unum eundemque esse *Habacuc*, qui translatus est ab angelo ad *Danielem* in lacu leonum pascendum, et qui octavus est ex 12 prophetis minoribus. Ita *Hector Pintus* (4), *Tirinus*, et alii plures. Sed est id valde durum, atque difficile. Nam *Habacuc* inter prophetas mino-

(1) Genes. c. 5, v. 24.

(2) IV. Reg. c. 2, v. 11.

(3) Praefat. in *Danielem*.

(4) Comment. in Dan. c. 14, v. 32.

(5) *Habacuc* c. 1, v. 3 et 4.

(6) Ibidem v. 6, 7, 8, 9.

(7) Ibid. v. 10.

(8) *Habacuc*, qui inter duodecim prophetas minores numeratur, mortuus est in Iudaea biennio, antequam populus iu-

res octavus iam ante captivitatem babilonicam prophetavit; ut ex eo patet, quia praedixit, ob iniustitias iudaeorum (5) chaldaeos venturos (6) cum *Nabuchodonosore* (7): historia autem prophetae *Habacuc* per angelum translata ad *Danielem*, qui ob eversum *Bel* et occisum *Draconem* in lacum leonum missus erat, haec, inquam, historia contigit post solutam captivitatem babilonicam 70 annis durantem, iam *Cyro* apud babilonios regnante; quo tempore ille propheta *Habacuc* non amplius erat in vivis (8), aut certe tam grandaeva fuisset aetate, ut prandium ad messorum ferre (9) non potuerit. Unde altera sententia est *Riberae* (10), et aliorum, quam *Corn. a Lap.* (11) veriore appellat, statuentium duos prophetas *Habacuc*; priorem, qui inter prophetas minores octavus ponitur, et cuius prophetiae ad hunc diem in nostris bibliis extant; alterum *Discophorum*, ut vocant, seu ferentem prandium ad *Danielem*, qui illo priore fuit aetate posterior. Et profecto, cum duo fuerint *Michaeae* et uterque propheta, alter filius *Iemla*, de quo III. Reg. cap. ult., alter, qui est unus e duodecim prophetis minoribus; imo et tertius *Michaeas*, de quo II. Paral. c. 17, quem *Eusebius*, teste *Ribera*, etiam prophetam appellavit; cur vereamur dicere duos quoque fuisse *Habacuc* prophetas, quando quidem unum dicere ratio temporis commode non patitur?

daicus sub *Zorobabele*, ex captivitate babilonica rediret. Ita *Calmetus* in suo dictionario bibl. v. *Habacuc*; item *Sanctius* (prolegom. 8 in lib. *Danielis*) citans pro hac sententia *Epiphanium*, *Dorotheum*, *Isidorum*, et *Chronicum Alexandrinum*.

(9) Vide Dan. c. 14, v. 32.

(10) Praelud. 2 in exposit. 12 prophetarum n. 19 et 20.

(11) Comment. in Dan. c. 14, v. 32.

SECTIO III.

DE XII. PROPHETIS MINORIBUS

Prophetae minores sic dicti ob scriptorum suorum brevitatem (1), numero sunt duodecim; et, sicut quatuor prophetae maiores, ita etiam ipsi invehuntur in idololatriam, aliaque scelera israelitarum, comminando ipsis captivitatem vel assyriacam, vel babylonicam, inspersis hinc inde laetis vaticiniis de Christo, de ecclesia Christi, et ad eam pertinentibus, omnique felicitate per Christum mundo obventura.

CAPUT I.

De Hosea.

HOSEAS sive OSEE, hebraice *וֹשֵׁעַ* graece apud LXX interpretes *Ὠσηέ*, latine *Salvatorem* significat. Optat enim hic propheta ubique oratque Dominum pro salute populi. Igitur non solis oraculis, gestis et vitae sanctitate, sed et nomine suo Christum praefigurat *Osee*. Prophetavit autem iam sub *Ozia*, seu *Azaria*, *Ioathan*, *Achaz*, *Ezechia*, regibus Iuda, ut patet ex vers. 1, et sub *Ieroboamo* II. rege Israel, eratque prophetae *Isaiae* synchronus; unde prophetavit circiter per 80 aut 90 annos, ut constat computanti annos memoratorum regum. Vixit facile 110 vel 120 annis. Colitur ut sanctus ab ecclesia 4 iulii. Argumentum ipsius prophetiae est: Peccantibus israelitis excidium, aliasque

(1) Vide supra num. 35.

(2) *Introduct. in s. Scriptur.* p. 2, sect. 4, n. 246, *Oppon. II.*

(3) In Evangelio suo, c. 21, v. 45.

(4) *Réponses critiques* tom. 1, n. 42.(5) *Vetus Testamentum* (adeoque etiam *Osee* prophetiam) reiiciebant Manichaei, Deum, qui per *Moysem* legem de-

plagas; poenitentibus clementiam et gloriam promittit.

137. *QUAERES I. An Spinoza, prophetiam Osee in nostris bibliis extantem iure censeat mutilam et mancam esse; cum hic propheta per tot annos prophetando plura haud dubie ediderit vaticinia? R.* cum cl. *Goldhagen* (2): « Propheta non alia consignabat scripto, ac quae Deus posteritati servari voluit ad ecclesiae utilitatem; uti nec evangelistae omnia Christi dicta et gesta scripserunt, teste *Ioanne* evang. (3). Potuit igitur *Oseas* diu prophetae munus concionando ad populum obire, scripto tamen non nisi paucas prophetias ad consilium Dei opportunas complecti. » Unde *Spinoza* libellum *Osee* immerito censeat mutilum et mancum. Satis enim perfectus et integer ille liber est, qui secundum divinam voluntatem, et ad finem a Deo praestitutum conscriptus est.

138. *QUAERES II. An mandatum Dei, prophetae Osee (c. 1, v. 2) datum: SUME TIBI UXOREM FORNICATIONUM, ET FAC TIBI FILIOS FORNICATIONUM, verisimile sit? Negant id teste cl. *Bullet* (4) deistae ac dicunt, hoc mandatum non sine horrore legi posse. Negavit id etiam iam olim *Faustus* manichaeus (5), ideo ab *Augustino* ex instituto refutatus (6); et merito quidem. Nam sensus ci-*

dit, et in prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex tenebrarum principibus, asserentes; ut refert *Natalis Alexander*, tom. 4 *Histor. eccles. seculi III*, c. 3, art. 9, § 2.

(6) Vide s. *Augustini* operum tom. 6, contra *Faustum* Manich. lib. 22, c. 6, 80 et 89.

tali textus sacri non est, Deum iussisse prophetae, ut fornicetur, seu ut accedat ad meretricem manentem in vita sua scelerata; sed (quemadmodum interpretes (1) communiter exponunt) ut ducat famosam illam meretricem, eamque legitimo sibi matrimonio copulet, et filios ex ea procreet, qui vocantur *fili fornicationum*, non quod ex fornicatione nati sint, sed quod ex legitimo quidem coniugio, attamen ex matre, quae ante hoc matrimonium tota fornicationibus dedita fuit, fuerint procreati. Neque enim Deus ad prophetam ait: *Sume tibi mulierem ad fornicandum*, sed: *Sume tibi UXOREM fornicationum*, h. e. quae ante erat scortum, seu tota fornicationibus dedita.

Honestum autem est, mulierem, quae vitioso hoc quaestu vitam tolerat, ducere uxorem, modo cesset a scelere; uti meretrix illa *Gomer* dicta fecit, post initum cum propheta *Osea* matrimonium (2). Unde s. *Hieronymus* (3) recte de *Osea* ait: *Nec culpandus propheta, si meretricem converterit ad pudicitiam; sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit.* Et s. *Augustinus* (4): *Quid inimicum fidei christianae, si meretrix relicta fornicatione in castum coniugium commutatur? . . . Itaque cum meretricem propheta fecit uxorem, et ad vitam corrigendam mulieri consultum est, et figurae sacramentum, de quo mox loquemur, expressum.*

(1) Ita s. *Hieronymus*, *Cornelius a Lap.*, *Tirinus*, *Calmet*, aliique.(2) An autem *Gomer* post coniugium cum *Osee*, tresque proles ex eo susceptas, adulteris denuo se miscuerit, vide *Cornelium a Lap.* comment. in *Osee*, c. 5, v. 1.(3) Comment. in cap. I. *Osee*.(4) L. 22 contra *Faustum*, c. 80.(5) Exod. c. 7, v. 12. *Sed devoravit virga Aaron virgas eorum*, i. e. magorum aegyptiacorum.

COROLLARIUM. Immerito offenduntur lectores indocti, quod uxorem *Osee* audiant uxorem fornicationum nominari, non attendentes, quod Scriptura ex indole hebraicae linguae, imo aliarum quoque, tam in rebus quam personis nominandis non semel magis respiciat ad illud, quod ante, quam quod post fuerunt. Sic virga *Moyse* dicitur virga (5), etsi in anguem esset conversa. Sic in evangelio (6) appellantur surdi, claudique, qui antea erant tales, sed hic et nunc sive auditum, sive gressum iam receperunt.

139. Si autem petas, cur Deus tam durum praeceptum ducendi mulierem fornicationibus infamem prophetae *Osee* iniunxerit? R. Voluit Deus hoc facto (7) *Osee* designare et reprehendere infidelitatem et idololatriam populi israelitici; nam propheta *Oseas* Deum hic praesentat, uxor vero fornicaria populum Israel. Fornicatio enim et hoc loco, et passim apud prophetas significat peccata, praesertim idololatriae, qua israelitae relicto Deo sponso suo, idolis voluptatibusque illicitis quasi amasiis adhaerebant. Unde Deus loc. cit. ad *Oseam* ait: *Sume tibi uxorem fornicationum. . . quia fornicans fornicabitur terra a Domino*, h. e. quia israelitae a Deo prono impetu se convertent ad colenda idola.

SCHOLION. Cum unus idemque textus s. Scripturae non semel habeat plures sensus literales vel mysticos (8), mirandum non est, quod factum illud prophetae *Osee* iuxta

(6) Matth. c. 11, v. 5.

(7) Prophetiae non raro a Deo iussi sunt ipsis factis et actionibus prophetare, ut supra sect. 1, q. 1 num. 1, ostendimus.

(8) Vide *Salmeronem* proleg. 8. *Serarium* proleg. c. 21, q. 12 et 13. *Bonferrium* proleg. in totam Scriptur. sacr. c. 19, sect. 5.